DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE RHEUMATISMO.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,
Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

ANDREAS INGLIS,
EDINENSIS,

Phyſicae Societatis Socius Honorarius.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVII.

Viro praeſtantiſſimo,

GULIELMO RAMSAY,

DE BARNTON, ARMIGERO,

Virtutibus,

Quas per totum vitae decurſum diligenter coluerit,

Numeroſiſſimis vere ſpectabili,

Qui exemplum rarum et laudabile praebet,

Succeſſus proſperrimos ſummamque opulentiam,

Quae pleroſque mortalium tranſverſos agunt,

Benevolentiam ei ingenitam moreſque amabiles,

Nulla ex parte mutare valere ;

Propter amicitiam et urbanitatem ſingulares,

Adverſus ſeſe ſuaſque conſtanter adhibitas ;

Nec non,

Viro ingenioſo,

FORRESTO DEWAR,

Chirurgo Edinenſi,

Collegii Regii Chirurgici Edinenſis Praeſidi,

Neminique artis propriae peritia ſecundo,

Ob amorem et attentionem,

Quibus omnibus ſuis commodis,

Quantum in eo fuit,

Aſſidue conſulere dignatus eſt ;

Hanc Diſſertationem Medicam Inauguralem, ea,

Qua par eſt,

Obſervantia,

D. D. CQ.

ANDREAS INGLIS.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO.

NONNULLI forſitan ſecum mirabuntur, me hujuſmodi morbum, qui adeo vulgaris ſit, ut pauciſſima vel nulla naturam ejus et curationem ſpectantia tironem etiam in arte Hippocratica poſſint latere, e numeroſiſſimis, quae medicina longe lateque patens ſuppeditet, argumentis, quem in diſſertatione inaugurali exequerer, potiſſimum ſelegiſſe. Illis vero reſpondeo, juvenis eſſe, ſaltem per aliquot annos poſtquam medicinae ſtudere incepit, *communia* potius, quam *inſolita* et *rara*, intueri. Mihi enim, non ſine cauſa graviſſima, vitio poſſet verti, ſi morbum, qui in genus humanum, ſingulis fere diebus, invadit, et Britannos, cives dilectiſſimos, ſaepius, quam alios, infeſtat,

 ulla

ulla ex parte ignorarem. Si vero, contra, vitium, quod ne ſemel quidem in multis exemplorum millibus ſemet oſtendit, quodque medicum aetate provectum, prudentem expertumque fugere periclitatur, non penitus perſpectum cognitumque haberem, quiſnam, candore et humanitate praeditus, non me excuſaret, et juvenili ignorantiae parceret? Inſuper inſcitia in poſteriore exemplo, quam in priore, multo minus periculi haberet. Hic uni tantum pauculiſve ad ſummum, illic plurimis poſſet obeſſe. Qui praeterea, notitia *communium* probe inſtructus, medicinam facere incipiet, is haud dubie ſaepiſſime valetudini mortalium commodae conſulere, et bonam morborum, qui curationem recipere poſſunt, partem depellere poterit; et igitur medicus eo longe utilior futurus eſt, qui, communibus neglectui nimis habitis, plurimum temporis in *propriis* et *rariſſimis* contemplandis et proſequendis conſumpſit. Hiſce autem ſimilibuſque inductus materiam vulgarem non defugiendam putavi; nihil aliud exoptans, quam uti Praeceptoribus illuſtriſſimis, quibus tot et tanta debeam, me animum ad utiliſſima ab illis tradita ſerio attendiſſe demonſtrem.

Hic morbus, quem exequendum ſuſceperim, et Graecos et Romanos auctores, quantum ad naturam ejus veram attinebat, adeo latuit, ut eum ab arthritide, ſub qua omnes artuum dolores,

res, ſive inflammationem haberent, ſive eadem deſtituerentur, et, ut illis placuit, ab aliquo humore orirentur, comprehenderunt, nullis notis certis ſecernere fuerint aggreſſi. Nomen ῥευματισμος, unde judicare licet, morbum alicui humoris impetui ad partem affectam facto, vel catarrho, uti vulgo appellabatur, fuiſſe relatum, a Galeno primum adhibitum eſſe videtur. Utrum vero per id vocabulum morbum, quem *rheumatiſmum* recentiores appellent, vel diverſum, ſignificet, minime conſtat. Caeterum hoc compertum habemus, medicos omnes recentiores ad Botallum uſque tantum, ut naturam morbi rite intelligerent, abfuiſſe, ut, contra, eum ab humoribus naturam frigidam habentibus proficiſci, et igitur detractionem ſanguinis inimicam eſſe poſuerint. Hoc, quam imperfectae, immo, quam ridiculae, notiones eorum hujuſce morbi fuerint, plane et evidenter oſtendit. Auctor vero modo comprehenſus, vincula conſuetudinis inveteratae exuens, aſſerere non dubitavit, miſſiones ſanguinis reiteratas ad eum ſanandum eſſe neceſſarias. Quinetiam duorum exemplorum meminit, in quibus in hanc medendi viam cum proſperrimo ſucceſſu proceſſerat. Poſt eum Ballonius, qui Lutetiae Pariſiorum, Ludovico decimo tertio rerum potiente, floruit, nomen *rheumatiſmum* morbo primus e medicis recentioribus indidit, eum inflammationem habere, et ab arthritide vel catarrho longe differre affirmans. Praeterea hiſ-

toriam

toriam ejus accuratam memoriae prodendam curavit, et praeſidium unicum in crebris ſanguinis detractionibus poſitum eſſe contendit *. In eandem ſuper et natura morbi et curatione ſententiam poſtea conceſſerunt viri docti celebreſque Riverius et Sydenhamus.

Sub nomine *rheumatiſmus* utrumque morbi genus, *acutum* nempe et *chronicum*, comprehendere et exequi decrevi. Inter differendum de illis, veſtigiis Culleni aliorumque auctorum celebrium, quantum potero, inſiſtam.

Omnes ante Cullenum Noſologi definitiones morbi admodum imperfectas tradiderunt, quae et ad naturam ejus deſignandam, et ad eum ab aliis artuum vitiis diſtinguendum, perperam accommodari videntur. Igitur, illis ex toto praetermiſſis, Culleniana ſola, utpote quae omnibus palmam facile praeripiat, utar. Sic autem ſeſe habet ea, quae genus morbi acutum ſpectat. "Morbus ab externa, et plerumque evidente cauſa; pyrexia; dolor circa articulos, muſculorum tractum ſequens, genua et reliquos majores, potius quam pedum vel manuum articulos, infeſtans, calore externo auctus."

HISTORIA

* Vide Pringle's Diſeaſes of the Army, P. 3. chap. 2. ſect. 7. edit. 2.

HISTORIA MORBI.

In plagis frigidis frequenter, in calidis rarius, ſemet oſtendit. Autumno et vere ſaepiſſime, hyeme, dum frigus non parvum conſtanſque dominatur, minus crebro apparet. Hoc haud dubie, cur in Suecia et Laplandia ex toto fere ignotus ſit, in cauſa eſt. Rariſſime, caloribus aeſtivis invaleſcentibus, invadit. Calor quidem ei inimiciſſimus eſſe videtur. Namque Cleghornius celebris, inter morbos inſulae Balearicae Minori proprios depingendos, ſemel tantum, quod notabile eſt, hujuſce morbi mentionem injicit. Quinetiam Hillarius, dum morbos, qui inſulam Barbadoenſem infeſtant, exſequitur, hunc ibi perquam raro in conſpectum ſeſe dare affirmat. Inſuper multi memoriae produnt, in terris, quae ad Auſtrum magis etiamnum vergunt, vix unquam apparere, niſi cauſa excitans potentiſſima corpori fuerit admota. Qualibet tamen tempeſtate, et in qualibet regione, ſi viciſſitudines frigoris et caloris in tempus ſint frequentes, accedere poteſt. Nec in iis, quibus nondum multum aetatis acceſſerit, nec in iis, qui aetate provectiores ſint, frequenter apparet. Tempore, quod pubertatem inter et annum aetatis trigeſimum quintum intercedit, aliqua ex parte circum-

ſcriptus eſſe videtur. In quodlibet temperamentum, ſed in ſanguineum potiſſimum, invadit, mulieres ſaepius, quam viros exercens.

Morbum in primis inſigniunt dolores artuum, hos ſolos plerumque, ſed partes muſculares quoque nonnunquam, afficientes. Creberrime ſecundum muſculorum decurſum, ab uno artu ad alium, rapide ſemet extendunt, et ſemper actione muſculorum qui artui artubuſve laborantibus proprii ſunt, plurimum intenduntur. Qui artus frequentiſſime afficiuntur, ii ſunt coxae, genua, humeri et cubiti, nempe majores. Tali et carpi quoque ſaepe torquentur ; articuli vero minores, quales digitorum pedum manuumve proprii ſunt, raro aliquid detrimenti inde capiunt. Quanquam morbus una corporis parte tantum interdum continetur; multas tamen admodum frequenter exercet. Rebus ita ſe habentibus, a rigore et horrore incipit, quos protinus excipiunt reliqua pyrexiae ſigna, praeſertim ictus arteriarum frequentes, pleni, et duri. Pyrexia nonnunquam ante ſemet oſtendit, quam ulli dolores percipiuntur; ſed dolores ſaepius in certis partibus prius ſentiuntur, quam ulla febris ſigna apparent. Cum nihil pyrexiae ſubeſt, dolor aliquando uno articulo continetur. Si vero febris non mediocris urgeat, dolor, quanquam in uno artu potiſſimum ſedere poteſt, complures alios eodem

tempore

tempore ſaepiſſime occupat, ab uno ad alium plerumque migrans. In univerſos quoque corporis muſculos interdum invadit, adeo ut ex toto fere immobile reddatur, et nullas omnino, pauciſſimaſve functiones exercere poſſit †. Quinetiam in uno levatus, in alio gravior evadit. Eundem plerumque non diu tenet, ſed locum ſaepe mutat, et artus, quos prius invaſerat, aliquando repetit. Hoc modo in magnam longitudinem ſaepe producitur morbus, ſi nobiſcum, quanta ejus gravitas ſit, reputamus. Pyrexia quidem raro ultra duas treſve ſeptimanas, graviter urget; quanquam aliquando ex parte levata ſpatium totum ſex hebdomadarum explet.

Quae febris rheumatiſmum comitatur, ea unoquoque veſpere ingraveſcit, et noctu maxime ſaevit. Per tempus nocturnum quoque dolores violentiores evadunt, et ab uno artu ad alium tranſeunt. Hinc quoque auctum accipere videntur, quod corpus accuratius tegitur calidiuſque ſervatur.

Poſtquam artus dolore aliquamdiu fuit tentatus, plerumque quoque rubeſcit, tumeſcit, et tactui dolet. Tumor accedens dolorem

† Vide the Manuſcript Lectures of the late celebrated Dr Gregory.

dolorem artus plerumque levat, ſed eundem non ſemper ex toto depellit, nec artum adverſus reditum ejus tutum reddit.

Morbus aliquanto ſudationis plerumque ſtipatur, quae brevi poſt initium oritur. Raro vero libera aut copioſa eſt, et raro quoque dolores levat morbumve judicat. Per morbi decurſum urina colorata eſt, et, ſub initium, ſedimenti expers. Caeterum, morbo progrediente et pyrexia longiores remiſſiones adepta, ſedimentum pulverem lateritium referens deponit. Hoc vero finem morbi minime facit; namque ſaepe diu manet, poſtquam ſedimentum hujuſmodi in urina ſemet oſtendit. Qui ſanguis hoc in morbo e venis extrahitur, is cruſtam coriaceam, indicem diatheſeos phlogiſticae evidentiſſimam, ſuperficiei ſuae innatantem nunquam non exhibet. Alvus per totum morbi ſpatium dura eſt. Quod idem in pleriſque morbis inflammationem habentibus incidit; namque diarrhoea, vel profuſio alvi, in omnibus hujuſcemodi morbis, phaenomenon rariſſimum eſt.

Quanquam rheumatiſmus acutus phlegmaſiis, quarum naturae plurimum ei inſit, optimo jure accenſeatur; ab iis omnibus tamen hoc plane evidenterque diſcrepat, quod non ſuppuratione finiri conſuevit. Haec fere nunquam incidit. Morbus quidem, ut humor pellucidus gelatinoſus in vaginas tendinum effundatur,

aliquando

aliquando facit. Si humores hujuſmodi frequenter effundi ponantur, iidem vulgo rurſus abſorbeantur oportet. Namque Cullenus celeberrimus, omnium morbos ſpectantium obſervator fideliſſimus, ſe nunquam tales inde tumores oriri vidiſſe teſtatur, quales, uti humor iis contentus emitteretur, opem ſcalpelli chirurgici depoſtularunt. Eos tamen aliis ſemet oſtendiſſe confitetur.

Gravitate pyrexiae tandem diminuta, dolores articulorum, ſi manent, minus graves fiunt, loco certo magis circumſcribuntur, unum pauculoſve ad ſummum artus tantum occupantes, et ſedem mutare minus periclitantur.

Si pyrexia, quae rheumatiſmum comitatur, omnino ceſſat; ſi tumor, et potiſſimum artuum rubor, ex toto decedunt; ſed dolores tamen articulos ſingulares etiamnum afficere pergunt, qui rigidi et frigidi manent, qui ſenſui moleſtiae, motu adhibito, vel mutationibus coeli incidentibus, patent, qui ſine difficultate ſudore cogi nequeunt; vel, dum reliquum corpus ſudore copioſo et calido diffluit, tenace et frigido tantum humectantur: Si praeſertim dolores artuum modo poſitorum frigore intenduntur, et, contra, calore illis admoto levantur, *rheumatiſmum chronicum* genuinum adeſſe, concludere licet.

Hic autem articulos diverſos afficere poteſt; eos vero potiſſimum, qui multis muſculis circumdantur, quorumve muſculi in niſibus valentiſſimis et maxime continuis edendis adhibentur, vexare periclitatur. Res ita ſe habet in vertebris lumborum, quarum affectus *lumbago*; vel in coxa, cujus *iſchias*, vel *ſciatica* appellatur.

Hanc morbi hiſtoriam ad finem perducturi notemus oportet, utrumque rheumatiſmi, quem ſupra depinxerimus, genus inſulam Britannicam, ob temperiem coeli inconſtantem et mutabilem, ante omnes alias forſitan totius orbis terrarum regiones, graviter exercere et infeſtare.

D I A G N O S I S.

Cum medici facilius in errorem de natura morbi, quam de via eidem ab aliis rite diſtincto medendi, incidere periclitentur, unicuique in hoc deſudandum et elaborandum eſt, ut morbum, quem depellere conaturus ſit, ab omni alio accurate prius ſecernat, quam curationem ejus ſibi ſuſcipit. Hoc ſalus aegrotantis, hoc exiſtimatio ſua exigit. Cum res ita ſe habeat, nonnihil o-

perae

perae curaeque in diſcriminibus, quae rheumatiſmum inter et morbos eum referentes intercedunt, illuſtrandis ponendum duco. Prius autem unum rheumatiſmi ipſius genus ab altero, deinde utrumque ab aliis morbis diſtinguere conabor.

1. Genus rheumatiſmi acutum a chronico non difficulter ſecernitur. Namque in illo ſemper adſunt pyrexia, artuum tumor ruborque; dolores, qui externo calore augentur, et noctu potiſſimum urgent. In hoc, contra, pyrexia nulla, nullus plerumque tumor. Inſuper dolores artuum vel muſculorum, ut definitio Culleniana demonſtrat, ſub motu praeſertim augentur, plus minuſve fugaces ſunt, et calore lecti vel alio externo levantur.—Artus ipſi debiles rigidique ſunt, et facile, ſaepe ſponte, frigeſcunt. Haec duo genera a ſe invicem diſtinguere operae pretium eſſe duxi, quod curatio eorum, ut poſtea oſtendetur, magnopere differt.

2. Dolores a lue venerea proficiſcentes a rheumatiſmi propriis dignoſcantur neceſſe eſt. Quantum priores ſpectat, media oſſa ſolidiſſima, ut cranium tibiamve, tenent, et profunde ſedere videntur; poſteriores vero exteriora corporis occupant, tractum muſculorum ſequuntur, et oſſa extrema articuloſque, potiſſimum majores, exercent. Praeterea, quandocunque dolores

morbi

morbi venerei proles ſunt, alia ejus morbi ſigna aut praeceſſerunt, aut ſubſunt, unde, qualis dolorum origo ſit, conjicere poſſumus.

3. Qui dolores rheumatiſmum comitantur, ii ab illis, quos ſcorbutus facit, diligenter quoque ſunt diſtinguendi. Nec hoc factu difficile. Hi pulſibus arteriarum exilibus et inaequalibus, ſignis proclivitatis ad putredinem evidentibus, laſſitudine et debilitate inſignibus; maculis in cute diverſicoloribus, plerumque liveſcentibus, praeſertim ad pilorum radices; proclivitate ad haemorrhagias, &c. ſtipantur. His vero omnibus deſtituuntur dolores, qui a rheumatiſmo profluunt.

4. Dolores, qui vulgo *nervoſi* appellantur, ab iis, qui rheumatiſmi comites ſunt, ſecerni quoque debent. Horum origo et cauſae notae ſunt. Fons vero, unde illi oriantur, ſumma obſcuritate involutus eſt, immo ex toto ignotus. Quales ſint, hinc tantum diſcere poſſumus, quod alia ſigna nervoſa iis plerumque accedunt.

5. Non parum ſimilitudinis rheumatiſmum inter et podagram evidenter intercedit. Satis certo tamen dignoſci poſſunt; namque plurimis, iiſque minime obſcuris, inter ſeſe differunt. Primum

rhum autem diſcrimen a cauſis, unde proficiſcantur, petendum. Rheumatiſmus a cauſa externa, et plerumque evidente, frigore nempe; podagra nec ab hoc, nec ab alia quavis cauſa externa oritur, ſed ab aliqua interna conditione morbida, cujus naturam aſſequi nondum potuit pathologorum acumen, pendet. Loco quoque, quem tenent, differunt. Rheumatiſmus artus majores, rariſſime minores, et ſuperiores ſaepius quam inferiores occupat. Podagra, contra, minores et inferiores corripit, et uno, ut pollice pedis, ſaepe circumſcribitur. Rheumatiſmus vero ſemet uno articulo rarius continet; ſed complures eodem tempore invadere conſuevit, et tantum abeſt, ut articulis ſolis contineatur, ut tractum, contra, muſculorum evidentiſſime ſequatur. Podagra a labe haereditaria, ſaltem pleriſque in exemplis, profluit; nullam vero hujuſmodi originem agnoſcit rheumatiſmus. Acceſſionem podagrae, praeterquam in nonnullis juvenibus et valentioribus, antecedere ſolent, concoctio diminuta, acor, inflatio et alia idem genus ſigna, et in ſenibus praecipue, affectus nervoſi, ut aſthma et ſpirandi difficultas. Nullis vero hujuſmodi notis praecedentibus, rheumatiſmus invadit. Porro cum affectibus viſcerum internorum frequenter alternat podagra, quod rheumatiſmus, ſi in idoneam ei medendi viam procedatur, rariſſime facere conſuevit. Quinetiam, quantum ad tempus, quo invadunt, attinet, magnopere diſcrepant morbi.

Rheu-

Rheumatiſmus, ut ſupra comprehendimus, eo quod pubertatem inter et annum aetatis trigeſimum quintum intereſt, ſpatio magna ex parte circumſcriptus eſſe videtur. Podagra vero mortales, ante mediam aetatem, raro incipit affligere, niſi cum labes haereditaria admodum valens potenſque eſt. Rebus ita ſe habentibus, infra annum aetatis vigeſimum aliquando apparuit. Exempla etiam non deſunt, ubi pueros, qui ſeptem octove annos tantum habuerunt, cibo animali nimis liberaliter uti incaute permiſſos, infeſtavit. Quantum ſexum et temperamentum ſpectat, manifeſte quoque differunt. Podagra non tam exquiſite ſanguinei temperamenti, quam habitus plenioris, corporum magnorum, craſſorum, et aſperorum, ſexus virilis aut mulierum valentiorum, quas viragines appellare conſuevimus, appetens eſſe videtur, et eunuchis parcit. Rheumatiſmus vero temperamentum ſanguineum conſtanter, et mulieres praeſertim, exercet. Podagra certos circuitus habet, et ex intervallis brevioribus vel longioribus redire ſolet ; ſed rheumatiſmus minime periodicus eſt, et ſemel tantum per totum vitae decurſum accedere poteſt. Denique dolor rheumatiſmi, ſaltem acuti, magis, quam podagrae, mobilis eſt, et locum ſaepius mutat. Hoc vero notabile eſt, quod locus, unde dolor alio tranſlatus eſt, minus, quam in podagra, levatur. Cum podagra locum mutat, articulum alterius

lateris

lateris reſpondentem petit ; ſed rheumatiſmus ad alteram corporis extremitatem plerumque migrat.

Quae modo poſui, ea, me judice, ad podagram a rheumatiſmo ſecernendam ex toto ſufficient.

CAUSÆ REMOTÆ.

Sub his autem comprehenduntur ſeminium et cauſa excitans.

1. *Seminium.*—Hoc in diatheſi phlogiſtica, quae, uti Cullenus in praelectionibus ſuis ſuper uſu practico memoriae prodit, tonus ſyſtematis totius arterioſi adauctus, vel contractilitas forſitan fibrarum ejuſdem muſcularium intenſior eſt, conſiſtere videtur. Haec autem minime inflammatio ipſa eſt, ſed conditio corporis tantum ad eam recipiendam, ſi ei aliquo tempore futuro cauſa excitans, poſtea memoranda, acceſſerit, paratiſſima. Diatheſin hujuſmodi pro ſeminio hujus morbi unico habendam eſſe, teſtantur omnia quae ortui ejus favent, vel mortales ad eum proclives efficiunt ; tempus nempe vitae, quo magna ex parte circumſcriptus

circumſcriptus eſſe videtur; ſtatus hominum, qui in eum incidere conſueverunt, corporeus victuſque eorundem ratio; regionum, quas infeſtat, natura, et tempeſtates, quibus in genus humanum ſaevire ſolet, &c. Rheumatiſmum autem mortales a pubertate ad mediam aetatem uſque frequentius vexare, ſupra poſuimus. Qualis vero diatheſis per hocce ſpatium in ſyſtemate corporeo dominatur? Phlogiſtica haud dubie, quae homines phlegmaſiis omnigenis, et rheumatiſmo in reliquis, opportunos reddit. Praeterea qualis eſt ſtatus corporeus, hoc ſtadio vitae humanae nondum incepto aut finito? Nonne debilis et relaxatus, et igitur inflammationi parum amicus? Quod evidenter in cauſa eſt, cur morbus, quem exequimur, infantes nunquam, pueros et aetate provectos rarius, invadat. Inſuper, qualis eſt eorum, qui hoc morbo conflictari ſolent, ſtatus corporeus, qualiſque victus ratio? Nonne ille plenus, haemorrhagicus, ſolito valentior? Nonne haec quoque plerumque plena et opipara? Qui enim rheumatiſmo implicantur, ii, ſaltem plurimi eorum, vitam ſedentariam agunt, et luxui, crapulae, et intemperantiae omnigenae, dediti ſunt. Quales porro regiones infeſtat? An ad Auſtrum vergentes, et ſub ardore Solis propinqui ſitas, ubi fabrica corporis mollior, et fibrae muſculares relaxatae et debiles, non tenſae et rigidae ſunt; vel ad ſeptentrionem ſpectantes, ubi robur multo majus corporibus ineſt, et

fibrae

ſibrae muſculares plus vigoris et elateris habent ? In has, procul dubio, ut Britannia noſtra multaeque aliae regiones in iiſdem ſimilibuſve latitudinis Borealis gradibus ſitae, nimis certo teſtantur, imperium ſaeviſſimum tenet. Quali tempeſtate denique accedit ? Non aeſtate, cujus calores intenſi ei robori tonoque, quae ortui ejus favent, adverſantur ; ſed vere et autumno, cum frigus non modicum, aliquando permagnum, dominatur, quanquam cum calore nonnunquam alternat. Hoc vero, ut poſtea plenius monſtrabitur, ad morbum movendum aliqua ex parte neceſſarium eſſe videtur ; namque frigus hyemale, ſi continuum ſit, unoque tenore pergat, et nullas variationes ſubeat, modo lenius, modo intenſius evadens, pauciores rheumatiſmos, experientia teſte, quam vernum vel autumnale, progignit. Ratiocinio quidem, quod adhibuerim, hoc forſitan objici poteſt, quod e morbis antecedentibus convaleſcentes, et profluviis immodicis debilitati, in quibus nihil diatheſeos phlogiſticae plenitudiniſve adeſſe poſſis ſuſpicari, rheumatiſmo interdum corripiuntur. Acutum vero morbi genus et inflammationem, quae id comitatur, graviorem in hominibus hujuſcemodi prius oriri poſſe nego, quam magna ex parte convaluerunt, et vires, ſaltem mediocres, recuperarunt. Quam brevi vero ſpatio quidem aegrotantes hujuſmodi reſtituantur, quamque ſubito plenitudo, etiam morbida, exinanitionem per-

magnam excipiat, neminem, qui medicinam primoribus labris deguſtaverit, poteſt latere.

Quo hanc diſſertationis partem ad finem perducamus, nonne varia, quorum mentionem ſupra fecerimus, ſeminium rheumatiſmi in diatheſi phlogiſtica conſiſtere plane evidenterque demonſtrant? Quid iis ad ſtatum hujuſmodi corporeum progenerandum efficacius eſſe poteſt? Non quidem inficiamur morbum, nullo, ſaltem evidente, ſeminio ſubſtante, aliquando excitari poſſe, ſi cauſa excitans, quae corpori admoveatur, fuerit admodum valens.

2. *Cauſa excitans.*—Haec autem plerumque eſt frigus corpori applicatum. Singulares vero et illius et hujus conditiones prius ſubſint neceſſe eſt, quam frigus corpori noxam inferre poteſt. Illud infra gradum thermometri Fahrenheiteani ſexageſimum ſecundum deſcendat, et diu, ut ſub forma veſtium humidarum, applicetur; hoc praeter conſuetudinem calefiat, vel pars ejus certa, reliquis calidis ſervatis, frigori objiciatur oportet. Proximum eſt, ut rationem horum philoſophicam reddere conemur.

Calor autem naturalis corpori humano unicuique ſano proprius gradum thermometri ſupra dicti nonageſimum octavum

adaequat.

adaequat. In omni corporis parte idem eſt, in univerſum ſyſtema aequaliter diffuſus. Cum vero hicce caloris gradus valetudini commodae omnino neceſſarius ſit, eum, quo principium vitale debito tepore nunquam non foveatur, artificio ſingulari conſervandum curavit rerum natura Creatrix. Namque corpori poteſtatem caloris progenerandi ſapiens inſevit. Haec vero ad calorem corporis idoneum tuendum non ſufficit, ſi temperies aëria infra gradum ſexageſimum ſecundum deſcenderit diuque ibi manſerit. Quamdiu hunc gradum ſuperat, licet corporea multo inferior ſit, inter calorem aëris externi et corporis aequilibrium brevi rurſus reſtituitur. Si, contra, longe longeque infra hunc ſubſidet, principium vitale vi ſua ſedante extinguere periclitabitur; quod quidem ſaepe facit. Nihil vero hujuſmodi timendum eſt, ſi non aliquantum infra gradum trigeſimnm ſecundum deſcendat. Etenim hunc inter et ſexageſimum ſecundum vim longe diverſam, ſtimulantem nempe, edit. Igitur ſi frigus inter hoſce duos gradus modo comprehenſos intercedens corpori admoveatur, eidem univerſo, praeſertim vero ſyſtemati ſanguifero, praeter conſuetudinem, diatheſi phlogiſtica ſubſtante, ſenſili et irritabili ſtimulo acerrimo erit. Et, licet uni parti tantum applicetur, ob conſenſum mirandum quo omnes corporis partes inter ſe nexu arctiſſimo conjunguntur, et pleroſque affectus ſecum invicem facillime communicant, effectus ſuos

in

in ſyſtema totum brevi diffundet. Si vis frigoris tertia, adſtringens nempe, poteſtati proxime memoratae accedit, et quidem ab ea nunquam poteſt disjungi, tonus ſyſtematis arterioſi magis magiſque etiamnum augebitur, et niſus ejuſdem in contractionem inſolitus orietur. Inſuper, curſus humorum, ob partes externas ſpaſmodice conſtrictas, interiora corporis verſus fiet, et ſanguis quantitate inſolita in cavis internis in poſterum accumulabitur. Hoc autem facillime in artubus incidet, quia non aeque, ac reliquae membrorum partes, ope telae celluloſae ab injuriis frigoris defenduntur.

Quos frigoris in corpus effectus depinximus, ii multo certius edentur, ſi corpus ante praeter conſuetudinem quolibet modo fuerit calefactum. Hinc inſolitam irritabilitatem ſibi comparare videtur, quae, ut conſtrictio ſpaſmodica a frigore proficiſcens validior, et omnia detrimenta inde capta multo graviora ſint, plane manifeſteque facit. Quae in plagis calidioribus conſtanter incidere conſuerunt, ea hanc noſtram opinionem magnopere ſuffulciunt. Ibi frigoris noxae gradui caloris praecedentis, pro rata ratione, gravitate ſemper reſpondent. Cur autem effectus frigoris ibi violentiores ſunt? Haud dubie, quod calor intenſus irritabilitatem corporibus humanis, quae in qualibet regione ſub ſeptentrionibus ſita magna ex parte ignota eſt, conciliat. Quinetiam

tiam ſilentio non praetereundum eſt, effectus frigoris nocivos conſtanter fere eo graviores eſſe, quo diutius corpori admovetur. Igitur veſtimenta madefacta diuque geſta corpori ſummae noxae eſſe conſuerunt. Praeterea, ſi frigus parti ſingulari, ſub forma fluenti aërii, applicatur, dum reliquum corpus calidum ſervatur, et igitur magis relaxatum et irritabile eſt, effectus pernicioſiſſimos frequenter edit, ſpaſmum prius loco, cui fuit admotum, deinde corpori univerſo, validiſſimum, et aliquando inſuperabilem fere, inferens, et igitur impetum humorum a ſuperficie interiora corporis verſus magnum et repentinum faciens.

Ita rationem, qua frigus in corpus certo modo affectum, in hoc morbo excitando, agat, exponere ſum conatus. Duae e viribus tribus, frigori vulgo tributis, ſtimulans nempe et adſtringens, conjunctae in hac operatione, uti plane videre eſt, exercentur. Quod ad genus morbi chronicum ſpectat, id rheumatiſmum acutum antecedentem, niſus violentiores et ſubluxationes, ut cauſas ſuas excitantes praecipuas, agnoſcit. Hic forſitan alicui in mentem veniet rogare : Quomodo fit, ut cauſa omnino eadem alios homines longe aliis modis afficiat; in uno catarrhum, in altero pleuritidem, in tertio anginam, in quarto rheumatiſmum, in quinto ſynocham, &c. excitans ? Quantum ad memetipſum attinet, meam hujuſce rei ignorantiam plane confiteor,

fiteor, et alii forſitan multo doctiores et ſagaciores idem facere cogentur. Si conjecturam meram vero liceat proferre, unumquodque corpus forſitan ab omni alio plus minuſve differt, et ſeminium ſibi proprium habet, quod facit, ut ad morbum ſingularem, ante omnes alios, per totum vitae decurſum, proclive ſit. Hinc, ſi res ita ſeſe habet, fit, ut eadem cauſa alios morbos in aliis hominibus, moveat.

CAUSA PROXIMA.

Haec autem eſt proles ſeminii cauſaeque excitantis communis, vel effectus eorundem conjunctus, viz. ſanguis praeter naturam in arteriolis ligamentorum artuum, vel aponeuroſeos muſculorum tendineae, congeſtus. Quae ſanguinis accumulatio, et propter molem ſuam nimiam, et propter vaſa ſanguifera aliqua ex parte forſitan ante ſpaſmodice conſtricta, arteriolas modo poſitas magnopere ſtimulat, et nonnihil diſtendit, ſummum dolorem multumque inflammationis movens, et iter per eas liberum fruſtra ſibi quaerens. Rebus ita ſe habentibus, vires naturae medicatrices, quaſi conſilio ſanguinis congeſtionem tollendi, impetum circuitus humorum magis etiamnum adaugent; quod,

horrorem

horrorem et rigorem excitando, et arteriis extremis ſpaſmum inferendo, praeſtare videntur. Ita proxima hujuſce morbi cauſa in congeſtione ſanguinis nimia loco propria, cui ſpaſmus vaſorum extremorum et omnia pyrexiae ſigna accedunt, quantum diſci poteſt, conſiſtit. Huic vero, Culleno celeberrimo teſte, adjungi videtur affectus fibrarum muſculorum ſingularis, quem aliquantum rigiditatis eſſe vir doctus exiſtimat.

Abſit, ut opiniones quorundam, etiam magni nominis et famae, a modo prolata longe diverſas, ſuper cauſa rheumatiſmi proxima ſilentio praeteream. Eam in lentore humorum poſuit Boerhaavius illuſtris, ejuſque aemuli. Hunc vero lentorem exiſtere, nec magiſter venerabilis, nec diſcipuli unquam demonſtrare potuerunt. Cullenus ſagax, contra, eum in oeconomia animali ſubeſſe non poſſe, quin exitium vitae ſubitaneum inferret, argumentis non facile refellendis probavit. Doctrinam igitur, utpote quae nulli fundamento ſtabili et certo innitatur, ex toto repudiandam puto. Alii in animum ſibi induxerunt, acrimoniam ſingularem pro cauſa rheumatiſmi proxima habere. Materiam acrem quidem nervis admotam morbum rheumatiſmo ſimilem poſſe movere nemo ignorat. Exemplum hujus luculentum in odontalgia habemus. Caeterum, uti Cullenus illuſtriſſimus notat, nihil in hoc morbo ſubeſſe videtur, unde humores

aliquam

aliquam mutationem ſubiiſſe, vel aliquid acrimoniae ſibi comparaſſe, poteſt concludi.

Quantum ad genus rheumatiſmi alterum, nempe chronicum, attinet, cauſa ejus proxima longe diverſa eſſe videtur. Eam in atonia fibrarum muſcularium vaſorumque ſanguiferorum partis laborantis ſpaſmodica, cui contractio illarum rigiditaſque accedunt, poſitam eſſe mihimet perſuaſum habeo. Rem ita ſe habere clare monſtrare videntur cauſae, unde proficiſcitur, ſigna, curatio.

QUORUNDAM E SIGNIS EXPLICATIO.

Pleraque ſignorum, cum a cauſa proxima ſupra propoſita, et ſatis clare, ut ſpero, explicata, recta profluant, vix ullius illuſtrationis poſſunt indigere. Pauciſſimorum igitur tantum explicationem tradere decrevi.

1. *Ruboris* et *tumoris* partis laborantis.—Hi haud dubie ab inſolita ſanguinis in eo, qui laborat, loco quantitate congeſta, proficiſcuntur. Hoc per ſe adeo manifeſtum eſt, ut ei diutius immorari ex toto inutile foret.

2.

2. *Doloris acuti.*—Hic ab impetu humorum nimio partem affectam verſus facto plane pendet. Omnia vaſa ſanguifera nervulis ſibi propriis ſunt inſtructa, et igitur non parum ſenſilitatis habent. Si igitur impetu ſanguinis inſolito, ut in rheumatiſmo, ultra diametrum juſtam et naturalem diſtendantur, dolore afficiantur oportet. Hoc omnibus corporis partibus commune eſt. Cum vero vaſa, quae in rheumatiſmo afficiuntur, in vaginis muſculorum firmis et tendinibus ſedeant, et idcirco undique valide conſtringantur, non ſine difficultate ſumma, et, hanc ob cauſam, non ſine acutiſſimo dolore, expandi et dilatari poſſunt. Praeterea, ſedes eorum talis eſt, qualis vix effuſionem incidere patitur, quae, in aliis corporis locis, vaſa praeter conſuetudinem diſtenſa parte humorum, quos vehunt, liberat, et ita ea relaxat. Hoc idem in cauſa eſt, cur hic morbus vix unquam ſuppuratione finiatur. Namque, ut experimenta virorum clarorum Pringelii et Gaberi oſtendunt, nulla ſuppuratio, niſi pars lymphae coagulabilis effundatur, incidere poteſt. Aliquid humoris glutinoſi quidem in vaginas tendinum nonnunquam effundi confitemur; namque cadavera inciſa hoc eveniſſe teſtantur. Cum vero tumores inde rariſſime naſcantur, effuſionem hujuſmodi parum frequentem eſſe, vel humorem, poſtquam exhalavit, fere ſemper abſorberi ſuſpicamur. Et denique qualiſcunque ſit, ad pus progenerandum perperam accommodari vide-

tur; etenim nihil fere ſuppuratione in hoc morbo rarius eſſe, probe noverunt medici.

3. *Ejuſdem tractum muſculorum ſequentis.*—Hic, ut alibi, veſtigiis praeceptoris ſagacis, nempe celeberrimi Culleni, inſiſtendum eſt. Affectus fibrarum muſcularium ſingularis, inquit, vel rigiditas, in cauſa eſſe videtur, cur dolores ab uno artu ad alium, ſecundum decurſum muſculorum, propagentur: Nec mirum eſt, hos in muſculis extremis, ubi in artus deſinunt, graviſſime ſentiri, cum oſcillationes ultra hos nequeant patere.

PROGNOSIS.

Rheumatiſmus, dum corpus externum tenet, parum nihilve periculi habet; nulla etenim exempla, quibus fides poſſit haberi, quantum meminerim, produntur memoriae, ubi aliquis eo fuit extinctus. Nonnunquam a ſede ſolita ad caput, pulmones, et alia viſcera interna, migrare fertur, et apoplexiam, paralyſin, delirium, pneumoniam, morboſque ſimiles facere. Si vero hoc eveniat, animus mihi non parum inclinat, ut morbum non pro rheumatiſmo vero et genuino, ſed pro arthritidis ſpecie, habeam.

habeam. Tranſlationem hujuſcemodi deſignare exiſtimantur, doloris remiſſio, tumoris partis affectae deceſſus, anxietas, cordis palpitatio, ictus arteriarum abnormes, debiles, tenues, &c. Raro aliter, quam reſolutione, finitur. Aliquando quidem in ſchirrum deſinit. Suppuratio finis ejus rariſſimus eſt, quia denſa partis, ut ſupra fuit poſitum, ubi ſedet, textura effuſionem ad pus generandum accommodatam non recipit. Vix ulla, quantum reminiſci poſſim, in medicinae monumentis exempla reperiunda ſunt, ubi morbus gangraena fuit terminatus. Plerumque tarde et gradatim decedit, nullum judicium manifeſtum et evidens habens. Exempla tamen non deſunt, ubi morbum ſuſtulerunt, ſudor liberalis in corpus univerſum ſemet diffundens, ſputum copioſum, genera eruptionum diverſa, ſanguinis e diverſis corporis partibus profuſiones, &c. Quinetiam glandulae lymphaticae tumefactae ſubſidentes, et materiam, quae illas infarciebat, expellentes finem morbi facere, aut dolorem et ſigna ſaltem levare, dictae fuerunt. Inſuper, caſus ab Hoffmanno relatus eſt, ubi rheumatiſmus cum ulcere pedis alternavit.

Cum debiles et ſenectute fractos invadit, artus laborantis anchyloſin relinquere periclitatur. Tales paralyſi quoque non raro afficit. Hoc nunquam in junioribus et valentioribus incidit. Si morbus aliquem ſaepe corripuerit, vel eidem articulo diu

inſederit,

inſederit, malum eſt; namque non parum metus eſt, ne, rebus ita ſe habentibus, in rheumatiſmum chronicum tranſeat. Quantum hunc ſpectat, morbus eſt, qui plurimum doloris et moleſtiae habet, quanquam aegrotantem raro occidit. Fere ſemper pertinax eſt, nonnunquam inſanabilis. Per aliquot menſes ſaepe, immo per annos totos aliquando, manet, vitam extremam ſenibus, quos potiſſimum occupet, admodum miſerabilem efficiens; namque in juvenibus et robuſtis raro ſemet oſtendit. Plerumque reſolutione, nunquam ſuppuratione, rariſſime gangraena, interdum artus membrique, quae invaſit, paralyſi, et, in quibuſdam caſibus, articulorum anchyloſi finitur.

RATIO MEDENDI.

Cum morbus, de quo agitur, ſit duplex, curatio quoque duplex ſit oportet. Igitur prius ea, quae in rheumatiſmum acutum, deinde ea, quae in chronicum poſſint, conſiderabo.

SECT.

S E C T. I.

Conſilia autem rheumatiſmo acuto medendi ſunt :

I. Sanguinis et in toto corpore, et in partibus dolentibus, impetum diminuere.

II. Spaſmum toti corpori partibuſve certis illatum tollere.

Conſilio priori accommodantur,

1. *Regimen antiphlogiſticum.*—Hoc per totum morbi decurſum curioſe diligenterque adhibendum eſt. In ſtimulis irritamentiſque omnigenis, ſive externis, ſive internis, ut luce nimia, calore nimio, ſtrepitu ſoniſque intenſioribus, odoribus ingratis, omnibus guſtum tactumve offendentibus, ſiti nimia, alvi duritie, cibis concoctu difficilibus vel e materia animali conſtantibus, cogitatione intenſa, animique affectibus violentioribus, &c. evitandis, conſiſtit. Ante omnia alia, diaetae ratio habeatur. Ægrotanti uſu cibi animalis ex toto interdicatur. Liquoribus fermentatis diligenter abſtineatur. Sitis vero liquoribus diluentibus leniſſimis,

mis, liberaliter ſumptis, reſtinguatur. Ad potionem tamen nunquam, niſi ſiti urgente, decurratur; alioquin brevi ſenſus moleſtiae et oppreſſionis in ventriculo ingratus orietur. Farinaceis ſolis et lacte, utpote quae ſyſtema minime ſtimulent, victitet aeger. Sydenhamius, ille Hippocrates alter, ſibi perſuaſum habuit, morbum abſtinentia ſola poſſe depelli; et igitur nihil fere aegrotantibus ſuae curae demandatis, praeter ſerum lactis ſolum, conceſſit. Affirmat hancce medendi viam ſuis multo melius, quam largas evacuationes, votis reſpondiſſe. Fidem ei lubentiſſime habeo; ubi vero hodie aegrotus reperiri poteſt, qui ſero ſolo erit contentus?

2. *Sanguinis detractio.*—In hac pars curationis praecipua manifeſte conſiſtit. Sub initium morbi, cum maxime juvat, liberaliter adhibeatur. Sanguis e vena magna, amplo vulnere inflicto, ad ſedecim uncias aut circiter, ſi aeger ſit adultus, emittatur; namque, quo magis ſubito detrahitur, eo plus ſyſtema ſanguiferum relaxando prodeſt. Inter omnes medicos convenit, pauculas uncias hoc modo extractas multo plus, quam quadruplicem quantitatem tarde et quaſi guttatim effluentem, proficere. Duodecim horis elapſis, ſi febris et alia ſigna urgere pergant, ad alteram detractionem confugi poteſt. Ad ſummum, intra quatuor aut quinque dierum ſpatium, quinque librae tuto elici

poſſunt.

poſſunt. Ætatis, vigoris corporei, ſexus, temperamenti, conſuetudinis prioris, et febris epidemice graſſantis, ratio nunquam non habeatur. Namque jactura ſanguinis multo melius toleratur, cum rheumatiſmus ſingulos occupat, quam cum in totum fere populum ſaevit *. Si morbus aetate provectiores invadit, hac evacuatione parcius utendum eſt; namque eam pejus ferunt, quam juniores et vigentes. Summae dementiae foret in ſanguine eliciendo perſtare, ut placet nonnullis, donec cruſta coriacea non amplius ſemet oſtenderet. Haec enim, pyrexia ex toto ſublata, apparere pergit. Igitur hoc facere ruſticum ſtolidum apud Horatium agere propemodum foret:

"Ruſticus expectat, dum amnis defluat, at ille
"Labitur, et labetur in omne volubilis aevum."

Si in uſu hujuſce evacuationis, maxime quidem ſalutaris intra limites juſtos adhibitae, nimis diu perſtetur, mala horrenda oriri conſuerunt, debilitas ſumma, hydrops, rheumatiſmus chronicus pertinaciſſimus, &c. Hic quinam ſanguinis detractioni fines ponendi

* "We muſt obſerve, that there are certain ſeaſons, in which the diſeaſe is epidemic, and epidemic rheumatiſms are greatly hurt by large bleedings." Vide the late Dr Gregory's MS. Lectures.

ponendi ſint, jure quaeri poteſt. Hoc accurate ſtatuere in primis quidem difficile. Hoc vero certum et indubitabile eſſe videtur, miſſionem ſanguinis nunquam detrimento fore, dum febris graviter urget, et ſigna diatheſeos phlogiſticae evidentia ſubſunt. Namque quidem mirabile eſt, quam facile jacturam ſanguinis etiam largam hoc morbo laborantes ſoleant ferre, nulla nauſea deliquiove ſuperveniente. Cum tantum ſanguinis e venis emiſſum eſt, quantum medicus prudens et expertus detrahendum putaret, ad evacuationes loco proprias etiamnum cum commodo poteſt decurri, quae corpori multo minus, quam miſſiones ſanguinis generales, nocere ſolent. Si rubor tumorque partium laborantium ſubſunt, ſanguis hoc modo detractus fere ſemper juvat. In genere chronico etiam, nullo rubore aut tumore ſubſtante, pyrexia abſente, ſed dolore urgente, multum levaminis ſecum adducit. Cucurbitulae cruentae, cum ſanguis hoc modo eliciendus eſt, hirudinibus praeſtant; ſed parti laboranti, ob tenuitatem telae celluloſae, non ſemper tuto applicari poſſunt. Rebus ita ſe habentibus, ad hirudines decurratur. Non duae treſve, ut moris nimis communis eſt, ſed decem duodecimve loco affecto applicentur, et ſanguis, uti Pringelius illuſtris praecipit, tarde et gradatim, donec ſponte ſua ceſſet, effluat. Hoc modo plurimum commodi aegrotanti orietur. Quanquam detractiones ſanguinis loco propriae aegrotum levant, non ſaepe

morbum

morbum tamen ex toto depellunt. Eum potius ab uno corporis loco ad alium transferunt, et dolor proximo die biduove repetit. Cum res ita ſe habet, non ulterius in uſu evacuationum hujuſmodi perſtandum, ſed curationem morbi remediis poſtea memorandis concredendum.

3. *Purgantia.*—Haec in rheumatiſmo curando frequentius fuerunt adhibita. Moris Sydenhami fuit, catharticum diebus alternis, ſanguine bis terve detracto, praeſcribere. Morbum vero vix unquam depellunt, nec aeque in diatheſin phlogiſticam, ac ſanguinis detractio, poſſunt. Inſuper, morbo graviter urgente, et univerſo corpore, ut ſaepe fit, nihil motus, ſine ſummo cruciatu, tolerare valente, perquam incommoda ſunt, et ſaepe motu et dolore, quae faciunt, revera nocent. Nunquam non quidem cavendum eſt, ne irritatio ulla ab alvi duritie oriatur, et ſigna inde exaſperentur. Omni vero hujuſmodi incommodo ſatis efficaciter occurrent enemata refrigerantia, prout occaſio poſtulat, adhibita. Quinetiam eidem conſilio reſpondebunt ſales medii, modica quantitate ſumpti, quales ſunt cremor tartari, nitrum, &c. bene diluta. Ex omnibus ſalibus neutris, nitrum in uſu maxime communi fuit. Caeterum ventriculis plurimis difficulter ſedet, etiam cum aceto conjunctum. Non plus, quam quodlibet aliud ſal medium, niſi in ipſo ſolutionis articulo, quo

tempore frigus manifeſtum progignitur, videtur refrigerare. Igitur uſu ejus ex toto abſtinere conveniet, ſi ventriculum etiam modica irritatione afficiet, quod hoc in morbo ſemper noxae eſſe experientia clare teſtatur.

4. *Applicationes topicae.*—Fomenta et cataplaſmata, primo intuitu, non parum auxilii in rheumatiſmo acuto promittere videntur. Quanquam vero ad tenſionem partium diminuendam et vaſa relaxanda in aliis phlegmaſiis, uti probe notum eſt, inprimis accommodantur; hic tamen raro proficiunt, immo nonnunquam plurimum obſunt. Humores expandendo et rarefaciendo, dolorem intendere videntur. Rubefacientia et camphora contra dolores efficaciora ſunt. Nihil aliud vero plerumque, ut e *Praxi Culleniana* diſcimus, quam dolorem ab una parte ad aliam transferunt, et parum ad affectum univerſum tollendum faciunt. Epiſpaſtica parti laboranti admota ad dolorem inde fugandum multum conferre poſſunt; ſed in auxilium totius morbi, niſi dolores parte ſingulari contineantur, parum ſunt prompta. Nonnulli, dolorem levandi tollendive conſilio, ad ea remedia, ut acetum, ſpiritum vinoſum camphoratum, &c. quae vim repellentem habent, decucurrerunt. Haec vero medendi via ſemper anceps, nonnunquam admodum periculoſa. Namque, uti fertur, quibuſdam in caſibus, morbum introrſum pepulit, et

paralyſin,

paralyſin, apoplexiam, delirium, pneumoniam, colicam, &c. fecit. Medicus Edinenſis excellentiſſimus, qui nuper floruit, Dr Clerk, hemiplegiae mentionem injicit, quae a ſpiritu vinoſo camphorato partibus affectis applicato fuit profecta. Pleraque hoc genus exempla aliqua ex parte arthritica eſſe, ut ſupra poſui, ſuſpicor; namque rheumatiſmus ſuperficiei corporeae, experientia teſte, amantiſſimus eſt, et ad interiora corporis rariſſime migrat. Cum vero morbi, nonnullis in exemplis, a ſe invicem difficillime poſſint ſecerni, et medicus ſagaciſſimus cogatur dubitare, utrum podagrae, an rheumatiſmo, debeat occurrere, omnibus hujuſmodi remediis, in omnibus caſibus, abſtinere conveniet.

Poſteriori conſilio reſpondent,

A. *Omnia, quae curſum humorum ſuperficiem verſus* faciunt,

a. *Balneum calidum.*—Hujus periculum factum fuit, ſed non cum fructu proſperrimo. Quanquam enim corpus in id demerſum relaxat; eodem tamen tempore ſtimulo eſt. Igitur ſaepe tantum abeſt, ut dolores compeſcat, ut eoſdem, partim forſitan vi caloris rarefaciente, partim vi ſtimulante, graviores efficiat. Nunquam ad id, ſi in uſum revocatur, ante decurratur, quam

ſigna

ſigna febrilia remiſerunt, et dolores minus graviter urgere coeperunt. Quinetiam calor ejus, quo vis ſtimulatrix, quantum fieri poſſit, evitetur, gradum ſexageſimum ſecundum thermometri Fahrenheiteani inter et octogeſimum ſemper contineri debet. Inſuper, omnibus incommodis, quibus cathartica, patet, et hominem frigori objectat. Remedia, quae mox memoranda ſunt, vicem ejus optime praeſtant.

b. *Diaphoretica.*—Sub his ſudorifica quoque comprehendo. Ad haec in rheumatiſmo acuto ſaepe confugitur. Ratio ſudorem in hoc morbo movendi, eumque hoc modo depellendi, in uſum practicum a viro erudito et claro Joanne Clerk, M. D. primum, quantum noverim, fuit invecta. Sudorem doſibus ſpiritus Mindereri reiteratis excitavit, et eundem in horas viginti quatuor, aut quadraginta octo interdum, ſpiritu C. Cervini ſerove e vino Hiſpanico, promovit et continuum effecit. Tutior vero et efficacior idem praeſtandi via eſt, pulverem Doverianum, qui laudibus ſummis, non ſine ratione graviſſima, a pleriſque medicis, ob utilitatem ſuam et in hoc et in multis aliis morbis, fuerit elatus, adhibere. Sudor vero nec hoc, qui minus, quam quodvis aliud potens ſudorificum, ſtimulat, minus cordis arteriarumque actionem intendit, et fines harum extremos magis relaxat, nec quolibet alio medicamento prius excitetur, quam py-

rexia

rexia plurimum diminuta eſt, et diatheſis phlogiſtica, compluribus ſanguinis detractionibus, magna ex parte depulſa. Nunquam calida adminiſtratione extorqueatur; namque prorumpere hoc modo coactus febrim violentiorem efficit, et morbum plerumque in horrendam longitudinem producit. Mane, poſtquam aegrotus evigilavit, eſt tempus hocce remedium aſſumendi optimum; quod vigilanti, quam dormienti, omnes ſecretiones, quotquot ſunt, facilius et liberalius fluunt, quodque die, quam noctu, omnibus et deſideriis aegroti et neceſſitatibus melius conſuli poteſt. Sudor quam leniſſime ſemper moveatur. Igitur a doſi pulveris magna non incipiendum eſt. Decem aut duodecim grana, ex intervallo duarum horarum aut circiter, donec ſudor copioſus effundatur, dare ſufficiet. Sudor doſibus ſimilibus, majore temporis ſpatio interpoſito, dandis, promovendus et continuandus. Nihil aliquamdiu poſt pulverem ſumptum bibatur, donec ſudor erumpere inceperit, ne pulvis rejiciatur, et ita effectibus ejus ſalutiferis occurratur. Sudore profuſo, diluentia omnigena, potiſſimum ea quae minime ſtimulant, qualia ſunt decocta hordeacea, quibus acidum fuit adjunctum, ſerum ex aceto, vel cremore tartari, &c. liberaliter ſunt adhibenda. Æger ſtragulis nimis ponderoſis nunquam degravetur; hoc enim ardorem intolerandum moveret, et omnia alia ſigna pejora et graviora efficeret. Ea quibus aſſueverit, plerumque ſufficient. Induſium

laneum,

laneum, non lineum, ſibi induat aegrotus. Sudor enim melius illo, quam hoc adhibito, procedet. Omnino quoque neceſſarium eſt, ut ſudor univerſus ſit. Igitur ſi pedes, quod ſaepe incidit, ſudare recuſant, utriculi aqua calida repleti vel lateres calefacti panniſque involuti, iis protinus applicentur; quod plerumque, ut ſudor ſatis copioſus in illis oriatur, faciet. Quantum ſudandi ſpatium ſpectat, ſudatio, niſi duodecim horis ad minimum pergat, nihil in morbum poterit. Si vero in ſpatium viginti quatuor protrahetur, contra malum multo erit efficacior. Aliquando per horas quadraginta octo conſervata fuit. Si tantam ejus longitudinem aliqui non valebunt tolerare, diaphoreſin lenem in idem ſpatium, vel brevius, ſi nihil amplius fieri poteſt, provehere conandum eſt. Si ſudor per aliquod ex hiſce ſpatiis continuatus non ſigna ex toto depellat, ad eundem rurſus confugiatur. Sin vero plane, ſigna augendo, quod in pauciſſimis exemplis quidem incidit, nocebit, eo quam primum deſiſtatur.

c. *Emetica.*—His, me judice, plena vomitio minime concitanda eſt, quod agitatio inde oriunda morbum haud dubie graviorem efficeret. Doſibus vero, quae nauſeam tantum leniſſimam faciant, tuto dari poſſunt. Etenim ita data, diaphoreſin movendo, ſigna febrilia levant, et alvum ſolutam plerumque tenent.

d. *An-*

d. *Antiſpoſmodica.*—Hiſce omnibus palmam facile praeripit opium. Caeterum, diatheſi phlogiſtica non ex toto domita, non temere dandum. Vi pyrexiae fracta, ad dolores conſopiendos, et igitur ad levamen aegroto, omnibus votis exoptandum, conciliandum in primis accommodatur. Effectus hujuſcemodi, ſed leviores, vino antimoniali adjunctum, val partem pulveris Doveriani conſtituens, edit, et ita tuto, et ſine metu, dari poteſt.

Remediis, quae huic conſilio conveniunt, adjicienda ſunt decocta lignorum et ſarſaparillae. In morbum plurimum poſſe dicuntur. Decoctum lignorum, febre urgente, nimis calefacere videtur, et igitur non dandum eſt. Virtutes forſitan aquae potius, quam lignis, tribuendae. Namque aqua ſimplex, liberaliter epota, vim potenter diaphoreticam, ut omnes norunt, habet. Decoctum vero ſarſaparillae, uti Dr. Donaldus Monro aliique teſtantur, rheumatiſmum, aliis ſudorificis valentibus incaſſum tentatis, ſanavit.

Quinetiam cortex Peruvianus, ſanguine liberaliter detracto, et ſedimento in urina ſemet oſtendente, vel febre formam intermittentis ſibi aſſumente, cum cummodo poteſt adhiberi. Uſum ejus medicis, rebus ita ſe habentibus, ſuadent viri celebres Pringelius, Monroius modo dictus, et Cullenus.

Per

Per totum morbi decurſum veſtes ponderoſiores vitentur; immo ſolito leviores corpori circumdandae, quae partes laborantes nulla preſſura inſolita laedant.

Hae panno laneo, lana ipſa, aut materia xylina, quo perſpirationi liberiori, quantum fieri poſſit, conſulatur, curioſe diligenterque involvantur. His de curatione rheumatiſmi acuti traditis, proximum eſt, ut viam chronico medendi quoque, ſed quam breviſſime, cum diſſertatio in longitudinem nimiam jam producta ſit, conſiderem.

S E C T. II.

Conſilia autem rheumatiſmo chronico medendi duo eſſe videntur,

I. Tonum et vigorem parti laboranti reddere.

II. Spaſmo eandem liberare.

Conſilio priori accommodantur ſtimulantia et tonica. Illis merito accenſentur, oleum terebinthinae, gummi guaicum, electricitas;

tricitas; his cortex Peruvianus, exercitatio, frictio, balneum frigidum, pars laborans cauſtico aduſta.

1. *Oleum Terebinthinae.*—Hoc admodum penetrabile eſt, et effectus ſuos brevi in corpus univerſum diffundit, calorem ſudoremque faciens. Igitur hoc in morbo proficiat oportet; namque quodcunque ſtimulat curſumque humorum ad ſuperficiem revocat, id ad actionem principii vitalis in parte renovandam in primis accommodatur. Viri clari Pitcarnius et Cheynaeus duas drachmas pro doſi, idque, ut illi memoriae produnt, cum fructu proſperrimo, dederunt. Melli admiſcetur, et ab aegroto jejunante, in quinque aut ſex dies continuas, mane ſumitur. Medicamentum haud dubie nauſeoſum eſt, et aliquos ventriculos miſere perturbat.

2. *Gummi guaiacum.*—Terebinthina baſin hujus conſtituit. Igitur effectus fere eoſdem, quos medicamentum prius, haud dubie edet. Tinctura ejus volatilis reliquis ex eo praeparatis praeſtat. Opio adjuncta curſum humorum ad ſuperficiem potentem facit, et igitur plurimum hoc in morbo auxilii promittit. Moris eſt quorundam medicorum hoc gummi quantitate ſcrupuli unius vel duorum, una cum quinque, ſex, ſeptem, octove ſalis cornu cervini granis, ſub tempus cubitum eundi, dare. Id, hoc

F modo

modo datum, vicem diaphoretici valentis noctu, et cathartici lenioris proximo die, reddere reperiunt. Ita ſumptum, ut alvum modice ſolutam teneat, remedium praeſtantiſſimum eſt.

3. *Electricitas.*—Haec ſub forma ſcintillarum, vel ſuccuſſionum, adhiberi poteſt. Nihil, quod medici in uſum revocare poſſunt, plus poteſtatis ſtimulantis habet. Gradu modico, et longum per ſpatium, adhibeatur oportet, ſi multum fructus inde percipere velis. Miracula propemodum edidiſſe fertur. Si fides auctoribus habenda ſit, tonum membris atrophia laborantibus et plenitudinem priora reſtituit; tetanos, qui quatuor menſes, paralyſes, et rheumatiſmos chronicos, qui multos annos manſerant, depulit. Si res ita ſe habeant, omnia, quae votis noſtris hoc in morbo poſſint reſpondere, ab ea ſperare licet.

4. *Cortex Peruvianus.*—Hic omnibus tonicis internis evidenter antecellit, ſolida ſimplicia mirum in modum condenſans et roborans. Morborum a debilitate proficiſcentium finem ſaepe ſpatio breviſſimo facit. Igitur in rheumatiſmo chronico fiducia in eo meritiſſime collocari poteſt; namque dotes ejus tales ſunt, quales atoniae illi, unde hic morbus videatur pendere, inimiciſſimae eſſe videntur.

5. *Exercitatio.*—Haec ad corpus corroborandum, uti experientia teſtatur, plurimum confert. Equitatio, ante omnes ejus ſpecies, in hunc morbum poteſt; namque longa itinera hoc modo facta plurimos, qui eo diuturnum per tempus fuerant conflictati, ex toto reſtituit. Qui domo diſcedit, emaciatus, debilis, et doloribus ſaeviſſimis vexatus, is plerumque revertitur, "Epicuri de grege porcum" pinguedine referens, robuſtus omniſque doloris expers. Nec hoc quidem mirum eſt, cum impetum humorum ſuperficiem verſus copioſum faciat, corpus univerſum ſtimulet et roboret, omnes ſecretiones expediens.

6. *Frictio.*—Haec in morem exercitationis agit, et igitur nullius explicationis eget. Eoſdem fere effectus edit.

7. *Balneum frigidum.*—Qui in hoc ſemet immergunt, ii primum paleſcunt et rigoribus concutiuntur, deinde rubeſcunt et caleſcunt, poſtrema perſpiratione liberiori madeſcunt. Haec, quam optime huic morbo, ubi humores ſuperficiem non rite inviſunt, conveniat, evidenter oſtendunt. Subiti roboris et alacritatis ſaepe fons eſt. Contra rheumatiſmum chronicum efficaciſſimum eſt, et, ut Joannes Floyerus Eques refert, multos ad ſanitatem reduxit.

8. *Pars*

8. *Pars laborans cauſtico aduſta.*—Hoc facere conſuerunt antiqui. Hoc quoque in uſu communi apud Indos Orientales hodie eſt. Remedium crudele et ingratum, ſed efficax eſt. Qui humor ex ulcere profluit, is cauſam morbi tollit. Impetus ad partem factus actionem vaſorum reſtituit, et ita atoniam tollit. In manu vero nullius medici apud Britannos eſt, aegrotis, ut ad remedium tam barbarum et crudele confugiant, ſuadere.

Conſilio poſteriori reſpondent antiſpaſmodica.

a. *Mercurius.*—Hic omnes ſecretiones corporis humani et excretiones promovet et adauget. Igitur ad ſpaſmos, qui certas partes occupaverunt, plurimum accommodari videretur. Huic vero opinioni adverſatur experientia, quae a medicis ad eum ſaepe fruſtra decurſum fuiſſe teſtatur. In paucis exemplis quidem morbum fugavit. Hodie minime in uſu tam communi eſſe incipit. Eum hoc in morbo tam raro profeciſſe mirum eſt, cum plurimos tetanos, hepatitides &c. ſanaſſe dicatur.

b. *Balneum calidum.*—Hoc, utpote quod ſolida ſimplicia laxiora efficiat, fibras motrices excitet, et calore molem ſanguinis adaugeat, ad ſpaſmos conſopiendos in primis accommodari videtur. Revera ſaepe, uti a multis accepi, et aliquando vidi, mor-

bum

bum ſuſtulit. Si vapores ab aqua calida aſcendentes partibus laborantibus applicentur, potentiores effectus edent. Quanta vaporum, ſi partem verſus prudenter dirigantur, vis ſit, omnino mirabile eſt.

c. *Epiſpaſtica.*—Haec vim ſtimulantem et antiſpaſmodicam habent, unde in uſum hujuſce morbi inventa fuiſſe videntur. Hoc vero nunquam non memoria tenendum eſt, unum duove raro multum prodeſſe, ſed ſeriem eorum eidem loco, prout cuticula renovata permittit, applicatam huic morbo pertinaciſſimo quaſi terrorem ſaepe injicere, et eum tandem fugare.

d. *Linimenta.*—Haec, quae officio ſtimulantium et antiſpaſmodicorum funguntur, eodem tempore actionem arteriarum intendunt ſpaſmumque ſolvunt. Linimentum volatile, oleum camphoratum, balſamumque anodynum, reliquis hoc genus praeſtant, et, uti multi fatentur, hoc in mobo magnopere proficiunt.

Quo omnia quaſi uno verbo concludam, hoc morbi genus poſterius ſaepe de medicina quaſi triumphum agit, remediis potentiſſimis, quae felix mortalium induſtria repererit, viſve ingenii vivida excogitarit, parere omnino recuſans. Et in dedecus

artis

artis Hippocraticae aeternum, quod medicina per tot ſecula labentia diligenter exculta efficere nequeat, id longinquitas temporis ſola, omnibus adjumentis aliunde petitis deſtituta, ſaepe ad extremum feliciſſime praeſtat.

F I N I S.